

um generalis, munimen suæ protectionis indulget, & fideles ad defensionem eorum salubribus monitis exhortatur; ne si nuper conversis negatum fuerit defensionis auxilium, vel in primos revertantur errores, vel eos saltem pœniteat credidisse. Accepimus enim quod cum bonæ memoriæ M. Episcopus Livoniensis fuisset provinciam Livoniensem ingressus, in verbo Domini laxans prædicationis suæ retia in capturam, inter populos barbaros, qui honorem Deo debitum animalibus brutis, arboribus frondosis, aquis limpidis, virentibus herbis, & spiritibus immundis impendunt, usque adeo Domino concedente profecit, ut multos a suis erroribus revocatos ad agnitionem perduceret veritatis, et sacri baptismatis unda renatos, doctrinis salutaribus informaret. Verum inimicus homo, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, invidens conversioni eorum pariter & saluti, persecutionem paganorum circumadjacentium in eos iniquis suggestionibus excitavit, cupientium eos delere de terra, & de partibus illis Christiani nominis memoriam abolere. Ne igitur nostræ negligentiae valeat imputari si hi qui jam crediderunt, retro cogantur abire, nec præsumant aliqui fidem nostram recipere, si illi qui jam receperunt, a paganorum incursibus remanserint indefensi; universitatem vestram monemus & exhortamur attentius, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus nisi pagani circa Livoniensem Ecclesiam constituti cum Christianis treugas inire voluerint, & initas observarint, ad defensionem Christianorum qui sunt in partibus illis potenter & viriliter in nomine Dei exercituum assurgatis. Nos autem omnibus de partibus vestris qui sanctorum limina visitare voverunt, præsentium auctoritate concedimus ut in voti commutatione emissi, in defensionem Livoniensis Ecclesiæ ad partes illas pro reverentia nominis Christiani procedant. Omnes siquidem qui ad defendendam Livoniensem Ecclesiam & Christianos in illis partibus constitutos divino zelo succensi duxerint transeundum, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & eis apostolici patrocinij beneficium impertimur. Datum Laterani III Nonas Octobris.

*In eundem modum universis Christi fidelibus in Sclavia constitutis.
In eundem modum universis Christi fidelibus trans Albiam constitutis.*

115.

1200.

Konung SVERKER II:s gåfva af hemmanet Sunby på Munsön till gamla Upsala kyrka, fisket deraf dock för Alsnö Kungsgård behållet; samt till Kanikerne derstädes af hemman i Upsala, Gorrattung och Scarpaloster; med frikallelse för Presterskapet från instämning till världslig domstol och från erläggandet af alla Kongl. utskylder.

A. 7. a. 1: 1.

In nomine sancte & individue trinitatis Amen. karuli regis filius SWERCHERUS dei gratia rex sueorum tam posteris quam nunc degentibus sancte matris ecclesie filiis in uero salutari salutem. Quoniam memoria humana labilis est. scriptis ea que de memoria labi non debent commendare oportet.

tet. Nouerit igitur discretio uestra. nos sancti spiritus instinctu commonitos. spe quoque celestis remuneracionis ductos. uillam quandam in munzei sunby nominatam cum accolis & piscationibus accolis attinentibus sancte matri upsalensi uidelicet ecclesie perpetuo iure possidendam contulisse. Piscaciones uero de eadem uilla ad mansionem regiam alsnu manentem pertinentes excepimus. Preterea ad honorem eiusdem ecclesie canonicorumque ibidem seruiencium sustentamentum. octo octonarios in uilla upsalensi. III:or in gorratung. &. III:or. in scarpaloster irreuocabiliter donauimus. & etiam idem canonici octo octonarios ante donationem nostram in eadem uilla legaliter donatos habebant. Statuimus quoque & perpetua lege tenendum firmauimus ut clerici diuino cultui mancipati pro criminibus sibi obiectis uel delictis quoquo modo commissis nunquam in futurum ad laicale pertrahantur iudicium. Sed de causis suis. episcopis & prelatis respondeant. rationemque reddant. Ecclesiarum quoque domos & agros ab omni regalium exactionum graamine immunes fore decreuimus. Vt autem donationes pretaxate sine calumpnia succedencium sint. hanc cartulam ad rei geste testimonium sigillo nostro impressimus. Si quis forte quod absit successorum nostrorum eas irritare attemptauerit. in presenti honoris sui paciatur detrimentum. & in futuro ab eo qui eum ad celestem patriam uocauerat. ab eadem cum datan & abiron partem habiturus excludatur. Datum anno incarnationis dominice. M°. CC°. concurrente. VI°. epacta III:a indictione Anno regni nostri. III:to Consecrationis uero domini olaui upsalensis archiepiscopi Anno II°. Anno bysxtili Regnante domino Nostro iesu christo cui est honor & imperium in secula seculorum AMEN.

Sigillet bortfallet; men pergamentsremsan finnes kvar.

I I 6.

(1200?)

Konung SVERKERS Stadfästelse på andelen af Skens fiske, köpt till Nydala Kloster.

A. 8. c. *).

Suerco Dei gratia S.(ueorum) rex filius Karoli itidem regis. principibus. & optimatibus pacem. bonam & salutem in domino Quia religiosorum frequens numerositas apud nos de die in diem augmentatur gratum nobis esse debet & optabile Inde est quod quidam viri sollertes de cenobio noueuallis temporibus abbatis Regneri ¹⁾ sustentationi eorum consulte prospicientes terciam partem piscationis que uocatur skæthin tribus marchis auri a nobis publice emptam suo deinceps dominio omni. iudicio legaliter manciparunt Jgitur hanc sententiam nostre auctoritatis scripto & Sigillo confirmatam uniuersitati vestre sollempniter notificamus hanc empcionem multis testibus corroboratam affirmant. episcopus colo. byrgho sweuorum & guttorum dux in-

*) Finnes i samma vidimation med de härefter under N:o 833 och 834 förekommande bref, och således med dem undergått samma öde. ÖRNHJELM, D. 8: 406, har begagnat samma afskrift, och sedermera sjelfva Originalen, från hvilket sigillet var bortfallet.

1) G. i stället för Regneri. D. 8: 406.